



DISSE^TRATI^O

IN QUA EXAMINATUR

An matrimonium in infidelitate contra^dum per professionem religionis Christianæ alterutrius quoad vinculum solvatur?

Procedens questio * ad presentem nos veluti manuduxit. Gravissima illa est, ac proinde serio a nobis tractanda, praesertim cum observaverim, id haec tenus minus accurate nostros theologos praestitisse. Illi ita sentiunt. Estius in 4. dist. 33. §. 7. & seqq. postquam constituisse matrimonium esse suapte natura indissolubile, existimat tamen ejus vinculum dissolvi, si pars infidelis renuat cum fidei habitare ac pacifice vivere sine contumelia Creatoris: quam sententiam multi theologi & canonistæ sequuntur. Contra vero Bellarminus, Jueninus, Drovuenius, & alii tenent, conju-

* Examinaverat illustrissimus auctor, an matrimonii vinculum propter adulterium alterutrius conjugum solvatur? Non solvi autem contra protestantes & Græcos probaverat, ostendens manere usque ad mortem matrimonii vinculum; etiam si conjugum alteruter adulterium committat.

gem fidelem legitime posse secundas nuptias ini-
re, quamvis conjux infidelis ultro optet, & con-
sentiat ad pacificam cohabitationem. Thomas
Sanchez lib. 7. de *Matrimonio disp. 74. num. 9.*
fustinet, primis ecclesiæ temporibus licuisse fi-
delem conjugem retinere; secutis autem seculis
hoc non amplius licere, sed matrimonium dis-
solvi, & posse fidelem novum facere connubium.
In diversas quoque abeunt sententias theologi
& canonistæ circa temp'is præcise, in quo vis
vinculi prioris cessat. Nam, S. Thomas, Duran-
dus, Paludanus, Estius, Tournelius, L'Her-
minierius, aliique sine numero, putant vincu-
lum illud subsistere quoisque novum succedat;
sunt vero alii, qui censemnt vinculum solvi sta-
tim, ac infidelis baptismum recipit. Itaque om-
nium theologorum & canonistarum eo demum
sententiae redeunt, quod in exposito casu ma-
trimonii ligamen aut statim dissolvatur, aut fal-
tem solvi possit. Qua in re illi mire convenient;
quodque gravius est, in plerisque ecclesiis hæc
doctrina, si quando casus contingat, in praxi
exercetur. Nobis autem quid videatur, aperiet
subjecta

